Altius hæc repetiti.

Si verò Auscultationis Antiquitatem ab ultima origine aussim repetere: in longè remotissima secula mihi, et illa adeò tempora, eundum esset: quibus supremum Coeli Numen hoc universum mundi theatrum ex nihilo fabricavit, atque in id homines SS. Trinitatis decretissimus factor, produxit.

Ipsi enim ad Deum, cùm ipse Doctor existeret, purgatis tunc aure attendere coeperunt Protoplasti:

Nec desiit temporis progressu, cùm homines multiplicarentur, mos iste ac consuetudo dicendi: sed peritiores vivâ voce sine ullis scriptis informarunt semper rudiores.

Sic Vir sanctus atque pius Henoch, hac sincera pietatis hac honestæ vitæ Mortalibus ... suo instillavit.

Patriarchis usitatus instituendi ratio.

Sic magnus ille Pater Credentium Abrahamus, secum degentibus Dei nomen vivâ voce manifestavit.

Idem et alii Patriarchæ, quos non paucos, iisdem temporis lucrandi gratiâ, mitto, fecerunt Auscultationem ipsi omnes urgentes.

Atque ita, quum per duo annorum millia 800 ipsi et Patriarchis usitata hæc instituendi ratio esset, non interrupto tempore, sed incorrupta dignitate ad Moysen, Prophetarum omnium, cùm vetustate tum sapientiâ Principem, est delata: qui, licet lex Dei promulgata haberetur, et scriptum extaret Israëlitas tamen summa laude vivâ informavit voce, ut eò facilius hæc ratione veritas coelestis ipsis inculcaretur, patulas sibi aures accommodari voluit.

Exclamatio.

O canam, et ab ultimis temporibus deductam, Auscultationis Antiquitatem!

Et sanè, quis ignorat, etiamsi vix primoribus, quod ajunt labiis Historiarum ... narum fontes degustaverit, eandem institutionem oralem antiquissimos usos esse Philosophos, quæ omninò Auscultationem requirebat?

Oralis antiquissimorum Philosophorum institutio.

Nonne Socrates terrestre illud humanæ sapientiæ Oraculum, vivâ docuit voce Platonem? Docuit omninò.

Is enim, Athenas patriam solitus, Socrati audiendo operam dedit, et præcepta ... libris inserta, serò demum cum posteritate communicavit.

Nonne Philosophus Samius Pythagoras, cujus pauca tantum Carmina superstitunt, aurea ipsa dicta, eodem informationis modo usus discipulos suos informavit? Informavit omninò vivâ voce.

Certè si singula, quæ huc spectant, ordine recensere vellem exempla: pluribus ... et tardissimè fluentibus opus foret clepsydris.

Fluit interim satis copiosè ex dictis (prout et aliàs id sole meridiano clarius est) Auscultationi ob tam venerandam Antiquitatem prærogativam deberi, indeque operam esse dandam magis, quàm Lectioni.

II. ab utilitate.

Nec verò ob solam antiquitatem, sed etiam ob insignem utilitatem maximè commendabilis est Auscultatio.

Illa namque tanta est: ut ob eandem vobis, Auditores, Auscultationem quoque in finem traditurus sim fovendam.

Ad subitatio.

Sed ubi incipiam, ubi desinam? Tanta, tanta sunt Auscultationis commoda: quæ inde in omnes ac singulos ~~...~~ redundant homines: ut verbis vix pronunciari, aut certè enumerari numeris queant.

SLUB Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski